

Cum Ducis Anguigeri variis diuisa sepulchris  
 Membra cubent, sic iusit enim, nam viscera seruare  
 Antoni tua sancta domus celebrata Viennæ,  
 Cor Ticinensis Michael, Carthusia corpus;  
 Hic quoque ad æternum populi Patriæque dolorem  
 Vexilla, & Clpei, & lachrimosæ insignia pompa  
 Exequialis honos, monumentum flebile pendent.  
 Instar & hoc tumuli semper memorabile nostris,  
 Impositum signum est oculis, lege principis ergo,  
 Hic etiam titulos nomenq, genusq, supremi  
 Cuius ab Angleria primus quos protulit olim  
 Natus ab Ascanio Troiani sanguinis Anglus  
 Comitibus; si prisca petas primordia clari  
 Nominis, atque domus Vicecomites extat origo  
 Talibus exortum proavis dixere Ioannem  
 Hunc Galeaz, quo non fama vulgatus ullum  
 Nomen in orbe fuit, factis ingentibus Heros.  
 Ille quidem Anguigeram super aurea sydera gentem  
 Extulit; & se se virtute æquavit Olympo  
 Dux Ligurum, Patriæque pater, Comesq, Papiæ,  
 Virtutumq, fuit, quantum splendebat in illa  
 Imperiosa oculis vis maiestatis, & altæ  
 Frontis honos, tantum specie mortaliibus ibat  
 Altior ut dominum sola esse doceret imago,  
 Quantum lux animi specioso in corpore fulsit,  
 Cognita per varium testantur plurima casum  
 Consilia alta Ducis cuius pietasq, fidesq,  
 Sacraq, iusticia, & clementia sanguinis expers.  
 Innocuam fecere animam; Nec dulcior alter  
 Eloquio, nec magnificis præstantior alter,  
 Nec fuit in totis Europæ finibus unquam  
 Aptior Imperijs princeps, nec sanctior alter  
 Relligione fuit, nec pacis amantior illa  
 Hanc propter sepe auspiciis iusta arma secundis  
 Induit, & claros superato ex hoste triumphos  
 Cepit, & vtrices quæ nulla est gloria maior  
 Nullaque compositæ maior constaniam mentis;  
 Ipse sui victor de pectore depulit iras  
 Permisit que pius victis ad sanæ reuerti  
 Consilia, & mediis pacem quæsivit in armis.  
 Ipse graues Populis cruda de sede Tyrannos  
 Deiecit, fregit tumidos, stravitque superbos.  
 Hic erat unde quies magnorum certa laborum